



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XXXV. Christus habetur pro stulto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

amore, conformis per omnia divinæ voluntati. Ille patiendo tu compatiendo, & lacrimando, conjunctissimis ambo cordibus, mirificè placebatis Patri æterno. Ergo, Domina mea, Mater misericordiæ! quomodo possum ego ingredi aliam viam, quæ bona sit? Domina mea, & Angelorum Regina! juva me posthac, ut oderim meam malam vitam, & semper incedam per securam viam contemptûs & humilitatis. Fac tu mihi hanc securitatem, Domina animæ meæ! & impetra mihi ad hoc lucem & robur, quod non mereor.

O Spiritus Angelici, qui videtis & laudatis hæc admiranda consilia Dei! O cives curiæ cælestis, qui etiam aliquando incedebatis non rectè, sed postea imitatione Domini mutastis viam, & nunc experimini fructus harum ignominiarum illius, & gloriosi estis per humilitatem ejus, clarèque intuemini veritates istas cælestes; compatimini mihi pauperulo, & impetrare mihi unam scintillam luminis, quod vos habetis; & amoris, quo vos ardetis; ut per eam convertar, & ad societatem vestram perducar. Amen,

Æ R V M N A X X X V.  
Christus habetur pro stulto.

I.



Erduxerunt Sacerdotes ac Principes Judæorum *Hypocrysis*  
Dominum ad Pilatum tali figurâ, ut Præses cogitare *Isidaurum.*  
posset, aliquid extraordinarium accidisse cum illo:  
& ut major opinioni fieret fides à dignitate personæ  
illorum, tanquam religionis & sanctitatis custodum, ipsimet partes actoris contra eum sibi assumpserunt. Ne tamen contaminarentur, si festo Paschatis die, qui tunc erat, subirent domum hominis à sua religione alieni, foris manserunt. Ita cæcum est cor hominis, vitiis & corruptæ voluntatis gustui serviens, ut sæpe, existimationis suæ tuendæ causâ, sive alio humano respectu, magnam rationem habeat levium rerum, nullam autem earum, quæ maximi sunt momenti, utpote perditionem salutis æternæ, & alia gravissima damna inferentes incautis. Mortale odium Filii Dei, & Salvatoris dudum ipsis promissi, datique à Deo, falsa testimonia,

perversio omnis justitiæ & veritatis, blasphemiæ, ingratitude pro tot ac tantis beneficiis, & similia erant digna consideratione: sed ea non curantes Judæi, timuerunt, ne ingressu in Prætorium profanati ad esum agni, & azymi panis inhabiles fierent.

*Pax inter*

*Pilatam &*

*Herodem:*

II. Egressus ad eos foras Pilatus, tanquam ad viros auctoritatis præcipuæ, simul primùm audivit mentionem Galilææ, quòd Christus inde usque Hierosolymam suâ doctrinâ concitaret populum, cognitòque quòd Nazaretanus esset, nullis ultrà accusationibus admittis, jussit eum duci ad Herodem, ad cujus ditionem spectaret. Erat enim Rex Herodes illis diebus Jerosolymis. Voluit Christus illos hâc inter se urbanitate uti cum sua persona, ut ejus occasione exhibere posset aliquid operis divini. Nam facti sunt amici Rex & Præses, cùm antea inimici fuissent. Ita cùm majoris boni capaces non essent, Dominus eos liberavit saltem ab inimicitiiis, & pace impertiit, maximi momenti inter eos, qui gubernant rempublicam. Quæ pacificatio inimicorum, licet magno ipsi constiterit, eam tamen omittere non voluit: ut videamus omnes, quid faceret in cordibus eorum, quæ inveniret amore ac sui desiderio plena, & apta recipiendis bonis, quæ largiri desiderat. Amor Domini Jesu otiosi non potest; sed ubi duritia cordis, & voluntaria impedimenta obsistunt, patientiâ pascitur, & expectatione dispositionis melioris.

*Desiderium*

*Herodis vis-*

*dens Christi-*

*sum.*

III. Judæi apud Herodem omni conatu & magnâ perturbatione suas accusationes contra Dominum exorsi, at parùm curati fuerunt; Rege gavisò Christi diu desiderato conspectu, de cujus doctrinâ, sanctitate, miraculis audierat, & intempestivas illorum accusationes, ex odio & invidia proficisci, clarè animadvertente. Sperabat itaque potius aliquid miraculi facturum in præsentia sua. Sed Christus Dominus noster, qui per totam vitam summæ perfectionis omnibus passim exempla præbuerat, voluit in fine per suum ingressum in regiam, instruere servos suos (quos interdum contingit agere cùm principibus ac regibus terræ) quo fine, & quâ spe versari debeant in aulis. Et exemplum erat maximè necessarium: quia plerumque oculi & majestas regum ingentem vim habent, ad immutandam puritatem & integritatem

gritatem animorum, qui aliàs videbantur invincibiles: & valde rara est virtus, quæ apud principes maneat illibata, nec mutet sinceritatem veritatis & rationis, studio illis satisfaciendi; quæque apud illos potiùs gloriam & gratiam Dei quærat, quàm propriam, malens Deo placere, quàm principibus terræ. Quia ergo conversatio cum illis est maxima probatio integritatis virtutis, Christus Dominus hoc suo ad regem accessu docuit multa summi momenti.

IV. Primùm, sua divina Majestas non obtulit se sponte conspectui regis, sed per vim eò ducta est; ut intelligant servi sui ex vera necessitate, non propriâ voluntate agere debere cum principibus. Christus valde parvi duxit oblectationem Herodis, quam capturus erat ex conspectu alicujus miraculi: quia enim in illis circumstantiis non erat spes gloriæ Dei tunc obtinendæ miraculo, sed solius oblectamenti regis illud expectantis. Dominus id parùm curavit. Qui enim in aulis principum non magnâ diligentia studuerit placere Deo, plerumque decipietur: & qui cogitaverit, virtutis esse dare gustum principibus, is & spe sua frustrabitur evanescens in desiderio suo, & amittet quietem virtutis convenientis statui suo. Non voluit quoque Dominus potentia Herodis liberari ab hostibus, & existimationem suam tueri; quod facillimè poterat: plùs enim ad hoc voluisset unicùm miraculum, quàm omnis Judæorum accusatio. Sed voluit, ut omnes discant famam & bonam opinionem tueri sincerâ virtute; & quòd unusquisque plurimùm possit libertate bonæ conscientia, & integriori conversatione cum Deo, tanquam fortissimis armis ad propulsanda mala quæcunque, & obtinenda bona cælestia sine familiaritate & gratia principum, quæ parùm valet ad succurrendum necessitatibus humanis, multùm autem ad cor vanitate replendum. Deniquè Christus docuit, non aliud ab aulis expectare, quàm quòd sua divina majestas reportavit ab hoc rege; scilicet magnum despectum, quòd non voluerit satisfacere desiderio & gustui ejus. Quia res tam pretiosa, ut est spes cordis humani, quâ cælum ac cælestia bona possunt acquiri, malè transfertur à Deo in hominem, invertendo cogitationes humanas, & eas

Bona fama  
converse  
tione cum  
Deo tenden-  
da.

fundando in aëre, hoc est, in humano ac terreno bono, ut careat meliøre.

*Silentium  
Christi co-  
ram Heroda*

*Qua causa  
illius?*

V. Herodes avidus videndi miraculi multa Dominum interrogavit, puta de ejus doctrinâ, de rebus futuris; quòd audivisset eum esse Prophetam, & intueri corda hominum: petebat quoque, ut coram se aliquod miraculum faceret. Sed Redemptor noster, qui hæcenus caverat, ne quid faceret vel diceret, quo impediretur sua passio; & intelligebat, quidquid faceret vel diceret ad nihil aliud profuturum, quàm ad pascendam curiositatem Regis, non habentis animum sequendi veritatem; insuper quoque videbat nihil hîc sperandum pro honore Patris æterni, vel salute hominum; ad omnia tacuit, neque rerum suarum rationem reddendo Herodi, neque refutando calumnias inimicorum: qui hæc ipsa taciturnitate strenuè sunt abusi ad suum propositum, ex illa ipsa eum conati convincere, quòd non haberet, quod contra objecta responderet in præsentia Judicis. Fuerit apud regem & aulam ejus magna admiratio mirabilium operum Domini, quæ accusatores ejus dicebant esse meras imposturas & præstigias: aliis non credentibus arte magicâ mortuis vitam, cæcis visum posse restitui; aliis eum habentibus pro maximo mago totius mundi; unoquoque judicante pro sua cæcitate vel malitia. Ad quæ cum taceret æterna sapientia, cum vel sola patientia & modestia sua eum absolvere, & omnes ad venerationem commovere deberet, ad extremum pro stulto & fatuo est habitus, qui tam bonâ occasione in commodum suum uti nesciret.

VI. Et verò non est genus hominum in mundo, quod magis decipiatur circa seipsum, quàm Principes: qui cum circumfluant adulationibus & ambitu omnium, ut plurimum de se nescio quid divinius & augustius sentientes, cogitant omnes confugere debere ad ipsorum protectionem & gratiam, & ipsorum placitis obsequi semper in omnibus rebus. Unde non potuit sibi persuadere Herodes, Christum non esse simplicem, & exigui cerebri, qui tam bona & præsentem occasione pro sui liberatione uti non posset. Censuit ergo, quæcunque de illo dicta fuerant, esse meras ignorantias vulgi, quidlibet stupere consueti; ac denique pro  
meris

meris nugis habuit omnia: quæ proinde satis lui possent, si palam tractaretur ut stultus, ne plebs amplius ab eo sibi sineret illudi. Indutum itaque veste albâ, quæ forma & colore morionem argueret, remisit Pilato; ut ex eo vestimento colligeret, quid sit sentiendum de illo. Sic Dominum Rex & aula tractavit; sic æstimatur sapientia Dei in ædibus eorum, quos mundus pro discretis & sapientibus habet. Rogandus est Christus, ne etiamnum in aulis principum, ubi colitur tanquam verus Deus, doctrina humilitatis, mansuetudinis & patientiæ habeatur pro stultâ, sicut in palatio Herodis est habita.

*Indutus veste alba ad Pilatum remittitur.*

VII. Dicitur non potest, quales, occasione novi ludubrii, clamores, cachinni, & contumeliæ in Dominum fuerint effusæ à militibus, usque ad domum Pilati, crescente semper affluxu populi simul, & insolentiâ militum, illum tractantium ut impostorem & fatuum, neque omittentium quidquam eorum, quæ stultis irrogari solent à petulantibus; ut jam omnis existimatio Christi & operum ejus apud omnes concideret, ipso patienter omnia sufferente. Nos autem in hac gravissima contumelia aspiciamus æternam sapientiam Dei Patris, Filium unigenitum Dei vivi, summam & infinitam bonitatem, & perfectissimum splendorem Majestatis divinæ. O secreta sapientiæ Dei! ô Veritas æterni consilii, malè intellecta ab hominibus! quæ cum divina sit, voluit instar stulti comparere in terra, & publicè haberi pro tali. Timuit mundus ejus doctrinam, tam adversam suis intentionibus: ideo eum hodie nactus in manus, ejus doctrinam obliterare contendit opprobriis, omnem suam furiam per Principes, Reges, Aulicos, Doctores cum toto populo in eum effundens, ut videret, an eum posset vincere. Sed vivat æterna & omnipotens veritas, quæ per eadem media, quibus oppressum ibatur, emerfit gloriose, toti mundo facta acceptior.

*Ludubrio, & cachinnis excipitur.*

VIII. Dicturus erat Christus Dominus noster per Apostolum: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens.* Hanc veritatem voluit prius consecrare in seipso, & complementum dare consiliis æternæ sapientiæ, vincere mundum, fundare Ecclesiam, implere hominibus regnum cælorum, dum pati-

*Per hostes gloriosior evasit. 1. ad Cor. c. 3. v. 18.*



tur se haberi pro stulto, parùm curando, quid de se sentiatur in terra: ut clarè videre possimus in ipso, omnem gloriam mundi non tantùm posse, ut animus capax æternæ gloriæ putet se despici humiliatione, vel magnum fieri quocunq̃ mundi honore. Et hoc voluit sanctus Paulus, cùm dixit: *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud DEVM, & prudentia carnis mors est.* Quia omnis sapientia mundi cum suis punctulis & momentis honoris non valet hominem perducere ad gloriam, propter quam creatus est; ac proinde est mera stultitia, cùm tota ejus cura sit crescere in opinione & ore hominùm, in divitiis, favore, fama, nomine, negotiis & voluptatibus vitæ: quæ omnia morti corporis obnoxia, mortem animæ pariunt: summâ utique insipientiâ eorum, qui in illis felicitatem suam constituunt, obliati æternæ. E contrariò sapientia hominis Christiani contemnit mundum, timet ejus vanitates, fugit honores, & favores, amplectitur humiliationes, omnes suas cogitationes vertit in Deum ac cælum: tam parvi facit mundi splendores, ut pudeat eos aspicere: & quò minoris sit à mundo, eò excelsior est, acquiescens bonis internis; quæ quia mundus haud novit, verè sapientes in Christo pro fatuis habet. Sed Apostolus dicit, mundum illis dignum non esse; & sibi mundum esse crucifixum, & se mundo. Quasi dicat; mundus me habet pro maledicto & cruciario, deridens doctrinam Christi crucifixi, quam prædico: at ego solvo illi pari monetâ, quia non pluris eum facio, quàm aliquem maledictum & cruciarium. Quantumvis ergo se jactet, ac de se præsumat vel promittat, me quidem non decipiet; quia omnia illius reputo ut stercora, ut sapientiam Christi obtineam, quam mundus ignorat. Jactet ergo se, ut volet; præsumant ejus discreti ac sapientes quidquid libuerit: ad extremum tamen si æternam salutem consequi velint, non restabit illis aliud remedium, quàm in humilitate & stultitiâ Christi, nihilque aliud reperiunt in sua sapientiâ & astutia, quàm deceptionem & interitum.

2. Cor. 6. 3.  
v. 19.  
ad Rom. 6.  
3. v. 6.

Effectus sa-  
pientia  
Christiana,  
& mundi-  
na.

## EXERCITIUM

Circa stultitiam Christo imputatam.

### I.

O Sapiencia æterna, bone JESU, lux & amor animæ meæ, unicum Bonum meum, amice & Magister meus! quis jam dicet, te non pati liberè, quia vis? quis non intelliget, solum amorem esse, qui vim tibi facit, non malitiam, & vincula inimicorum? hic invenis Regem, qui longo tempore te desideravit videre, audire doctrinam tuam, cognoscere miracula; quique valde lætatus est ingressu tuo in suum palatium; quia sperabat videre aliquid mirabilium tuorum, de quibus audiverat. Num te deseruit sapientia, vel potentia tuæ divinitatis? nonne poteras, Domine & gloria mea, confundere Judæos miraculis, regem in admirationem adducere, manifestare cogitationes præsentium, corda omnium aulicorum percellere divinâ tuâ doctrinâ; clarè ostendere tuam sapientiam & majestatem? Nihilominus tu taces, videns quanta rabie te accusent: implent omnia clamoribus, mendaciis, falsis testimoniis, & tu interrogatus nihil respondes: petunt à te miracula, tu nihil agis: putant te aliquid facturum in gratiam Regis, ut aliquid per ejus auctoritatem efficias; & tu occasione tam bellâ te liberandi ab inimicis non uteris: finis te haberi pro convicto, confuso, & ignavo, corroborando sic adversarios: vides hoc modo eos justificare suam malitiam, te verò magis despicabilem reddi; & tamen taces, & abscondis divinam sapientiam, potentiam, & majestatem, ac pateris te adeò contemni à Rege, eum tota sua aula, ut etiam stultus judiceris, & in habitu stulti ducaris per plateas, tanquam demens illufor vulgi.

II. O amor meus, ô lux mea, ô æterna Veritas mea! quàm longè abest mundus à tui cognitione? quàm occultæ sunt hæ veritates oculis diligentium vanitatem, & superbiam? humilia me, Domine: fac ut intelligam te, nec permitte me esse extra hanc cælestem prudentiam. Ago tibi tamen infinitas gratias: adoro te, summam Veritatem; adoro te, Sapienciam patris; adoro te, mi JESU, lux animarum; propter quas ita clarè monstras in divina persona

Ecc

tua

*Amor Christi  
ad  
pater  
dum  
impulsi.*

*Amantes  
vanitatem  
veritatem  
ignorant*



Stulti co-  
ram mundo  
sunt verè  
sapientes

tua incarnata veritatem tuæ doctrinæ, quam per te & per Aposto-  
los tuos docuisti, necessarium esse, ut stulti fiamus, & ignorantes,  
si velimus esse verè sapientes; posteaquam pro tali te finis haberi  
cum tanto contemptu. Infinitas tibi gratias ago, quia abscon-  
disti hæc à sapientibus ac superbis, & revelasti ea humilibus ac  
parvulis. O qui te semper in hoc imitaretur! O qui haberet  
spiritum tuum, ut gauderet se haberi pro stulto, & similem tui  
fieri, Deus meus! ô qui nihil magni de seipso cogitaret, neque  
curaret existimationem hominum! quando imprimes animæ meæ  
has æternas veritates, ô Domine? Jam illas agnosco, jam veneror.  
Sed video me procùl ab iis abesse. Volo videri, audiri, laudari,  
& horreo vilipendi. Quid est hoc, Deus meus? ubi hæret ista  
superbia, cum ob oculos habeam speculum hoc veritatis æternæ?  
ô amor meus, & gloria mea! tu scis, quòd, nisi purifices oculum  
meum, des mihi animum, & intimam recollectionem continuam,  
& facias, ut nunquam te dimittam ex oculis animæ, non possim  
amare hanc veritatem, nec desiderare & sequi cum gustu & affectu,  
quo tu amore mei incedis per eam. Condona mihi, Domine,  
meas vanitates; trahe me semper post hoc lumen: non sinas me  
cogitare, nec velle, nec amare aliam viam vel doctrinam,

Quos inte-  
rius movet  
& docet sa-  
pientia di-  
vina.

III. O mi Rex habite contemptui! hæc viâ venis, hæc in-  
flamas, & illuminas tuos. Quando tui perfecti imitatores ob-  
liviscuntur sui, ut meminerint tui; quando gloriantur contemptu;  
quando per occupationem internam se non applicant ad humana  
negotia, & ob hoc habentur inutiles, inertes, ignari; per hoc  
non amittunt infirmam naturam aliorum hominum: quis est ergo  
Domine, qui facit eos stultescere? quis hebetes, quis mundo inu-  
tiles efficit? quis adimit eis curiositatem vitæ? quis tenet intus  
suspensos? ô mi ardentissime amor divine, penetrans, fortis, ope-  
rose, convertens animas! tu, mi Domine, es ille, qui facis has  
mutationes: tu arripis interiùs, tu intus doces aliam sapientiam,  
quam mundus non videt: tu intus aliâ pulchritudine capis ani-  
mos, quam non attingunt oculi: tu alio lumine doces interiùs,  
quod caro non intelligit; ostendis intus aliam discretionem, quæ  
facit eam, quæ foris est, vilem, abjectam, rudem, ac tam deliram,  
ut

ut non possint averti ab eo, quod experiuntur interius; imò pudeat eos fieri similes hominibus, qui tractant res externas, & sequi iudicia vulgi, mirenturque stultitiam hominum.

IV. O quando, dulcis JESU! quando, mi dives JESU, <sup>Animas so-</sup> & amorse transformator animarum! <sup>rum in se</sup> convertes me totum in te? <sup>transformas</sup> & cum videam hæc in te, & tui experiantur in se, ubi remaneo ego, quando æstimo, quando respicio favores humanos & affligo me vilipensione sociorum, & eorum, qui ista non vident? serò amavi te, pulchricudo tam antiqua & tam nova: serò te amavi. O placeat tibi, vel jam, licet serò te amem, & amplectar corde vero ac puro! tu es in internis, & ego vagor foris; tu intus doces, & ostendis te his, qui ad te convertuntur toto corde; & ego distrahor sparsus per oculos hominum, teque amitto ex oculis meis. Convertete me DEUS meus, & ero conversus: muta me, & ero mutatus: doce me intus hanc veritatem, licet mundo fatuus, tibi tamen valde sapiens ero. O qui stultesceret propter te! ô qui solum à te, summa felicitas mea, vellet videri & æstimari!

V. Doce me, sapientia divina, lux illuminans eos, qui <sup>Verlantes</sup> versantur in tenebris internis, & in umbra lethiferæ ignorantia! <sup>in tenebris</sup> doce me, divine Magister, quomodo cum his conveniat id, quod <sup>illumina</sup> dixisti: *Melius est nomen bonum, quam divitia multa.* Estne hoc bonum nomen, Domine, nomen fatui, ignorantis, impostoris, falsarii, proditoris, quod imposuerunt tibi? malum nomen est superbi, avari, irreligiosi, vindicativi, invidi, & similia: sed bonum nomen est sancti, iusti, spiritualis, contemplativi, sensati, prudentis, periti rerum. Sed numquid malum est nomen, quo te affici sinis, stulti & improbi? ô Domine animæ meæ! illumina errores & ignorantias meas. Ego velut improbus, bonum nomen voco, placere hominibus, si habear virtute præditus, si lauder ego & actiones meæ, probentur mea consilia, commendentur meæ opiniones & dicta. Pro his obtinendis jaceo insomnis; si accidat secus, contristor, perrubor, in his obliviscor tui, evanescit <sup>Cor mundo</sup> cor meum; in his consumo verba, & cogitationes plurimas. Non <sup>affixum</sup> loquor de infelicibus horis, quibus delectabar tuis injuriis, lauda-

bar & gloriabar de rebus, quas tu odisti, & curabam vitia haberi pro virtutibus: sed etiam in sanctis rebus decepti me ipsum, & stultus fui, dum cogitavi, me obligari lege tuâ, ad existimationem tuendam, ut habear bonus; idque non sine internâ inquietudine, & vanitate verborum. O vanitas, ô stultitia, ô cæcitas mea! ô gloria & honor justorum! doce me, quàm bonum nomen sit cum habeor pro stulto & imperito; & quando contemnor ac deprimor; tacere tui amore, perdere pro te omnia, omnium oblivisci propter te, neque curare judicia hominum, te solum habere pro Judice, pro meâ sapientiâ, pro divitiis meis, pro ornamento, pro amico hujus animæ. O mi humilis JESU! quàm sum sapiens, cum te amo! quàm stultus, cum te perdo! quàm prudens, cum videor perire per te! & quàm insipiens, cum habeo omnia sine te! quàm justus, cum obliviscor omnia præ suavitate pulchritudinis tuæ? & quomodo decipior, quando cogitationes consumo in alia te, quàm in te! ô si tunc viderer totus rudis & iners in oculis mundi; sed amore tui totus captus, immerfus, absorptus, incorporatus, mutatus in te!

*Scientia  
sine humi-  
litate nulla  
est.*

VI. Quare velim vivere, mi bone JESU! quare velim abire à vestigiis tuis; ô Decus gloriæ, accipe me ad te! ô excelsæ humilis, ô vera gloria humiliata! cur velim ego plus sapere & intelligere? tolle me ex hac vita, Domine, si nôsti me amaturum, & æstimaturum aliud, quàm hanc veritatem. Ah! quid prodest intelligere, & sapere sine te, lux mea, & bonitas æterna? cessent modò, mi bone JESU! tenebræ meæ. O despecte JESU! amplectere, & accipe me in socium tuum. Ex hac horâ, Domine, in perpetuum renuntio omni existimationi, omni honori, omni reputationi meæ. Sint ianè omnes in æstimatione; sed ego sim contemptus, neglectus: sim in oblivione, in despectu omnium; alii sint in honore: non occupetur mecum ulla creatura; tu solus, mi bone JESU! & abundantia perfectâ! mei curam habeas; tu solus me audias, me ames, me tu solus aspicias, tu solus occuperis mecum.

*Amore  
transmutatur in  
DEVM*

VII. Hic amor tuus habet, quem transformet: hic habet ignis tuus, quem accendat: hic, ô lux divina! tenebras habes, quas illumines: hic ô sapientia æterna! habes ignorantem, quem erudias.

erudias. Inflamma me, Domine; consume me, Domine; doce me, Domine; humilia me in oculis mundi, & exalta me in oculis tuis. O quando videbo hanc mutationem! ô si nunquam recedam à tua præsentia, & à tua societate! ô si omnia extra te mihi pariant nauseam & horrorem! ô si me omnes creaturæ contemnerent, obliviscerentur mei; tu verò, Jesu animæ, solus, solus me possideres, & amplectereris! ô vita mœsta & ærumnosa, quæ tam longa & periculosa es! mi Domine, aut finiatur hæc vita, si unquam obliviscar istius rei; aut finiatur in me vanus amor illius, ut tui solius recorder semper, in omni tempore, loco, negotio. O mi Jesu, & omne bonum meum! tu scis, quòd non possim intelligere, quanti momenti sit hæc res, absque tuo lumine; nec possim eam exercere sine tuo amore. Da mihi, Domine, quod jubes, & jube quod vis: quia sine te non scio, nisi perdere me: tecum autem scio, & possum omnia, Deus meus, pulchritudo mea, gloria mea, amor meus, & omne bonum meum!

O Mater Dei, Domina mea, vera imitatrix hujus veritatis! quæ humilitate cepisti filium Patris æterni, & in viscera tua traxisti. Ille te magni æstimabat, tu verò nihili. Angelus te vocavit Matrem, & plenam gratiã, tu verò ancillam: nesciebas in te videre excellentiam, quam ille videbat. Portabas Deum in utero Virginali, & abscondebas; tacebas tuas divitias, & mundus te non æstimabat, cùm esses Deo plena. O Domina animæ meæ, quomodo aberro ego ab hac viã? Filius Dei spretus est quasi stultus; tu Mater ejus, & Regina gloriæ mundo es incognita: at ego servus nequam, quomodo excusabo viam, quam hætenus tenui? adjuva me, ô humilis & suprema Domina! da mihi affectum ad hanc veritatem; insere cordi meo frigidò ejus amorem. Impetra mihi à Domino, ne ullam aliam rem noverim, neque desiderem; & quidquid extra hanc est, procùl remove à corde meo, ne unquam possit illud subire: quia tu per experientiam novisti veritatem hujus occultæ sapientiæ.

B Virgo p  
humilita-  
facta  
et Mater  
DEL

O sancti Angeli, pleni Deo, divites gloriã! qui perfectissimè vos humiliatis coram Domino, & abundatis divitiis, quas obtinuistis sequendo hanc sapientiam, quam didicistis ab eo, tan-

Humilitas  
Angelorum



gat vos miseratio hujus cæci miselli, qui sic aberravit à viâ. Of-  
ferte suæ divinæ Majestati omnia vestra merita, cum omni laude,  
quam canitis illi; & impetrate mihi ab illa, ut me illuminet,  
me humiliet, me inflammet in amore suo, & in intentione suâ; ut  
merear etiam ego societatem tam humilem, ac tam affluentem ca-  
lestibus bonis. Amen.

## ÆRUMNA XXXVI.

Jactura existimationis apud amicos & trium-  
phus inimicorum Domini.

I.

*Multitudo  
ærumnarum  
Christi.*

ÆRUMNÆ magnæ rarò veniunt solæ: sed ferè comitatæ  
aliis, non minùs acerbis, quàm ipsæ sint. Quod Christus  
ut in totâ virâ, sic maximè in passione suâ fuit expertus, cujus  
circumstantiæ singulæ ad cruciandum sufficerent. Sic in ejus  
comprehensione fuit proditio Judæ, derelictio discipulorum, in-  
sultationes ac petulantia militum: in crucifixione luxatio mem-  
brorum, & alia id genus gravissima: quorum, qui ritè confide-  
rare vult ærumnas ejus, nihil debet præterire, ut pro singulis com-  
patiatur, & gratias agat: cum singula Domino plurimum doloris,  
nobis autem plurimum boni attulerint. Sic ergo in illis publicis  
despectibus per plateas urbis, cum tractaretur ut stultus, conjun-  
cta fuit, quam fortè pauci satis perpenderit, gravissima verò &  
meritò acerbissima Christo, jactura fidei & existimationis apud  
amicos, collectæ per opera divina, doctrinam cælestem, & vitam  
sanctissimam; triumphantibus interim ejus inimicis, quod rem  
ad optatum finem perduxerint. Nam ut ejus amor nullâ in re  
ipsi pepercit, ut in omni genere acerbaturum & seipsum nobis  
probaret, & Christus omnium afflictorum socius & consolator  
fieret: ita fecit eum subire & hoc genus ærumnæ, non ideo le-  
vioris, quòd ipse sic ordinaverit. Voluit enim neque in volun-  
tate patiendi, neque in his, quæ patiebatur, ullum se antecellere,  
imò nec parem sibi esse. Nam infirmitas carnis non tantum po-  
test.

*Jactura ex-  
istimationis  
apud Ami-  
cos.*